



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Qvæst. vnic. Quid & quotuplex sit discursus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 63

Quinta in-
stantia, con-
tra determi-
nationem.

Instabis quintò. Illud quod est determinatè verum, non potest non esse verum: hæc propositio, *Petrus peccabit*, potest non esse vera: ergo non est determinatè vera. Probatur maior. Propositio illa determinatè vera vel potest esse falsa eo tempore quo est vera, & sic esse potest simul vera & falsa; vel ante, vel post, & sic eadem propositio modò erit vera, modò falsa, quod implicat: quod enim est verum, ab æterno est verum. Denique libertas est indifferentia & indeterminatio: sed indifferentia & determinatio repugnant: ergo libertas & determinatio repugnant.

Resp. quod est determinatè verum determinatione potentiali, non potest non esse verum, concedo; quod est determinatè verum determinatione solum actuali, non potest non esse verum, saltem antecedenter, nego. Dixi futurum contingens esse indeterminatum determinatione actuali, non potentiali. Hæc propositio, *Petrus peccabit*, eo tempore quo est vera, potest absolute esse falsa; non potest esse falsa ex suppositione, quod sit vera. Sæpe autem dictum est, quod contingentia & libertas dicunt indifferentiam potentialem; non dicunt actuaalem.

S. VI.

Mens Philosophi circa veritatem propositionum de futuro.

Non errasse Aristotelem.

Dico sextò, Aristotelem non videri errasse circa veritatem propositionum de futuro, sed concessisse propositiones illas esse determinatè veras, sed ita tamen ut non sint necessariae. Ita veteres ferè omnes Scholastici, ut ostendunt Ruiz. *disp. vigesima secunda, sect. secunda*. Bel- larm. Albertinus, Fonseca. Errasse verò Aristotelem, tenent Okam. Gregorius, Bonavent. Vasques, Suarez, & alij non pauci.

Prima con-
iectura.

Ratio tamen est, quia Philosophus *lib. de divinat. per somnia*, & *lib. primo Rhetor. capite decimo quinto*, & *lib. de mundo, ad Alexandrum*, clare admittit, Deum esse præscium futurorum, & multos fuisse Vates à Deo inspiratos. Postià verò hac præscientià debet admitti determinata veritas futurorum. Deinde rationes omnes illæ, quas attuli ad probandum illam veritatem determinatam, ferè petuntur ex principiis Aristotelicis, *Quodlibet est, vel non est: Ex eo quod res sit, vel non sit, propositio est vera, vel falsa*: ergo verisimile omnino non est, errasse tantum ingenium in re quam sæpius docuerat.

Secunda
conjectura.

Secundò, quando Philosophus *in lib. de interpret.* videtur negare, propositiones contradictorias de futuro esse determinatè veras disjunctiue sumptas, sed disjunctim tantum; dicit duntaxat illas propositiones disjunctim sumptas esse necessarias; sumptas disjunctiue, non esse determinatè necessarias, sed indeterminatè tantum; quod est verum, & hoc vnum omnia probant eius argumenta. Patet autem hoc ex eius verbis, quæ sunt huiusmodi. *Esse quidem, aut non esse, omne necesse est, & futurum esse, vel non esse; non tamen contingit diuidentem dicere alterum necessarium. Dico autem, ut necesse est quidem esse futurum cras bellum navale, vel non esse futurum; sed non est necesse cras futurum esse bellum navale, neque rursus est necesse futurum non esse cras bellum navale*. Hæc enim Philosophus, & eo modo illum explicant S. Tho-

R. P. de Rhodes, curs. Philosoph.

A mas *sect. 15. comment. 2. Scotus in primum disp. 32. quæst. 1.*

Tertiò confirmari potest hæc explicatio ex scoto. Tertia con-
po ipsius Philosophi *c. illo octauo*; voluit enim ibi icctura,
duntaxat explicare illud axioma, *Ex duabus con-*
tradictoriis una est vera, & altera falsa: unde asse-
rit, hoc esse discrimen propositionum istarum à
cæteris, quod in propositionibus contingentibus
necessitas non conueniat determinatè vni propo-
sitioni; sed vtrique vagè ac confusè; cum tamen
aliis contradictoriis necessitas conueniat distinctè,
& determinatè.



B

DISPUTATIO IV.

De tertia mentis operatione. Ad priores Analy- ticos.



IBRIS Perihermenias subiunxit Ari-
stoteles libros duos priorum Ana-
lyticorum, siue de priori resolutione,
in quibus totam naturam discursus
in genere, præcipue verò syllogismum mirabili
quadam exponit industria, vocatque *Resolutorios*;
quia docet in his, quomodo syllogismus possit
in suas propositiones, & terminos resolui, Reso-
lutio est, *Renotatio alicuius rei in sua principia, qui-*
bis constat; ut cum domus dissoluitur in lapides,
ligna, &c. Compositio autem, siue methodus
compositiua, est *Principiorum, quibus res constat,*
renotatio ad finem; ut cum ligna, lapides, & calcem
ad vnam domum renocamus. Nos igitur metho-
dum hoc loco secuti resolutoriam, iis omisiss, quæ
in Pharo nostra dedimus, totam quidditatem, &
compositionem discursus præcipue syllogistici bre-
uiter exequemur.

D

QVÆSTIO VNICA.

Quid, & quotuplex sit discursus.

HUMANÀ ratio scientiarum, & artium omnium Discursus
quid sit,
mater, & nutrix (teste Basilio in caput se-
cundum Isaia) tota in discursu est. *Immo a sam-*
per; & tamen quouis volatili, vel etiam ipso sole
pernicius sese aggrans, ut pulchrè docet Theodor.
serm. tercio, & quinto de providentia: cuius exi-
stentiam nihil attinet probare, sine qua nec homi-
ni licet esse: naturam verò illius non ignorare tam
est necesse, quàm est vile homini se cognoscere.
Potest autem tota reuocari ad hæc capita. Pri-
mum est essentia, & diuisio discursus in genere.
Secundum essentia syllogismi. Tertium compo-
sitio eius artificiosa, siue præmissæ syllogisticæ.
Quartum conclusio formalis, cuius proprietates
nonnullæ difficultatem habent. Quintum variæ
species syllogismorum.

E

§ 2

SECTIO

SECTIO I.

De natura discursus.

Certum est, discursum, & argumentationem idem significare; consequentiam verò esse aliquid generalius quàm discursum; licet enim omnis discursus sit consequentia, non tamen contra omnis consequentia est discursus, sed illa sola, quæ habet notam illationis, scilicet, *Ergo*; vt patet ex dictis olim, vbi definitionem, diuisionem & regulas consequentiarum exposui, quas non repero.

Discursus definitio.

Dico primò. Discursus est actus iudicarius, quo intellectus infert vnum ex alio, per particulam, *Ergo*. Vide dicta *sect. tertia Phari, puncto secundo*.

Obserua primò, tripliciter posse cognosci à nobis plura obiecta. Primò in alio: secundò post aliud: tertio ex alio. Tunc vnum dicitur in alio cognosci, quando aliquid est ratio formalis, & medium, in quo eadem cognitione cognoscitur aliud. Ita multi putant creaturas cognosci à Beatis in Deo, tanquam in medio & speculo representante omnia, quod à Concilio Senonensi vocatur *Speculum vniforme*. Tunc vnum cognoscitur post aliud, quando cognitio vnus sequitur cognitionem alterius, non tamen vna est causa alterius, v. g. cum dico, *Homo est rationalis*; & deinde, *Homo est risibilis*: & hæc operatio non est propriè discursus, nisi fortasse *secundum successionem*, vt vocat S. Thomas *prima parte, quasi. quatuordecima, art. septimo*. Tunc vnum cognoscitur ex alio, cum vnum cognoscitur dependenter à cognitione alterius, per plures cognitiones inter se connexas, vt cum dicitur, *Homo est rationalis: ergo est risibilis*. Tunc enim, vt vides, secunda propositio non solum sequitur post aliam, sed sequitur ex alia; quod denotatur per particulam, *Ergo*, quæ propterea dicitur *illativa*, quia denotat vnā propositionem sequi & inferri ex alia. Illa, quæ infertur, dicitur consequens; illa, ex qua infertur, dicitur antecedens. Hæc operatio vocatur à S. Thoma, *Discursus secundum causalitatem*.

Distinguitur à simplici apprehensione, & quomodo.

Ab enunciatione quomodo distinguatur.

Quæ ad discursum exigantur.

Obserua secundò, in hoc distingui discursum à simplici apprehensione, quòd discursus sit cognitio iudicatiua, qua intellectus determinatè affirmat, aut negat aliquid; & à iudicio simplici (quod diximus olim esse proprium Dei, & Angelorum) quòd iudicium simplex sit vnica operatio indiuisibilis; discursus autem necessariò includat multas operationes realiter distinctas inter se. A iudicio compositiua, siue ab enunciatione differt, quia iudicium compositiua est cognitio determinata, siue dependentia ab antecedente; discursus autem sit cognitio determinata dependenter à præmissis, siue includens præmissas, ex quibus infertur; quæ dependentia denotatur per particulam, *Ergo*. Ex quibus omnibus tota proposita definitio satis explicata manet. Videndum duntaxat est ex ea definitione, quæ exigantur necessariò ad discursum.

Dico secundò. Ad discursum necessariò requiruntur plures operationes realiter distinctæ, quarum vna sit notior aliâ, & prior, non tempore, sed naturâ. Contra Durandum, & alios.

A Ratio, cur discursus exigit plures operationes realiter distinctas, est quia antecedens, vt mox dicam, debet esse causa consequentis, & est aliquid notum, per quod deuenitur in cognitionem consequentis ignoti. Ergo antecedens, & consequens debent realiter distingui. Deinde iudicium illatum distinguitur à iudicio simplici, quod Deo conuenit; sed non distinguitur si vnica habeat operationem iudicatiua: ergo habet necessariò plures operationes realiter distinctas, quod etiam indicat nomen discursus; est enim quasi cursus ab vna cognitione in aliam; nam intellectus noster discurrendo imitatur progressum localem, vt bene notat Albertus; sicut enim currendo, necessariò fiunt plures passus, quorum vnus sequitur alium, eo quod vnico passu totum spatium emetiri nequeamus; ita mentaliter discurrendo plures operationes elicimus à notis ad ignota, quia vnica cognitione totum obiectum adæquare non possumus; res enim cognoscimus abstractiue tantum, inadæquate, & confusè.

Obiicies, posse voluntatem eodem actu appetere finem & media; eodem autem modo se habent antecedens, & consequens, sicut finis & media: ergo eodem actu cognoscitur antecedens, & consequens. Sed hoc commodius soluetur *sect. quarta*, sicut etiam quod dicitur, obiectum materiale, & obiectum formale cognosci eodem actu.

C Ratio cur antecedens debeat esse notius consequente, & prius naturâ, est quia antecedens deducit in cognitionem consequentis, & est causa illius: ergo debet esse notius & prius, saltem naturâ; non debet autem esse necessariò prius tempore, vt bene docent Scotus, Vafq. Molina, Bañez & Auerfa; quia in eodem intellectu possunt simul esse plures actus, vt alibi demonstrabitur, quamuis ordinariè antecedens sit etiam prius tempore, quàm consequens, vt patet experientiâ; prius enim solemus elicere præmissas, deinde conclusionem. Neque dicas sequi, quod idem simul cognoscitur distinctè, & confusè; hoc enim potest fieri per diuersas cognitiones, non autem per vnica.

D Dico tertio. Antecedens necessariò est causa efficiens consequentis, non directè illud produciens, sed illuminans intellectum, & per naturalem consequentiam inclinans illum ad conclusionem eliciendam. Contra Hurtad. *disp. septima, de anima, sect. octaua*, qui putat præmissas causare conclusionem in genere causæ formalis; quem sequitur Arriaga *disp. decimaquinta, sect. quinta*.

Ratio cur antecedens causet aliquo modo conclusionem, est quia conclusio infertur ex antecedente: ergo antecedens causat conclusionem. Ratio cur causet effectiue, est quia præmissæ mouent, & impellunt intellectum ad assensum conclusionis, sed hic modus causandi pertinet ad causam effectiuam: ergo causant effectiue. Præterea si assensus præmissarum esset causa formalis conclusionis, positis præmissis, non posset suspendi conclusio; quod esse falsum inferius declarabitur.

Quod autem antecedens non causet directè conclusionem, illam producendo, ratio est, quia vnus actus nunquam producit alium; & quia intellectus positis præmissis sufficienter completus est ad conclusionem eliciendam: ergo non indiget alio, à quo producat conclusio.

Neque

Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 65

Neque dicas, speciem impressam necessariò concurrere producendo ipsam cognitionem, non autem tantum illuminando intellectum: ergo præmissa conclusionem ipsam effectivè producant. Nego enim paritatem, quia species impressa, cum non cognoscantur, non possunt illuminare intellectum, nisi producendo ipsam cognitionem, ut alibi declarabitur. Quomodo autem tum antecedens, tum consequens sit de essentia discursus, colligetur ex dicendis de syllogismo.

Conclusio quarta negatiua. Dico quartò. Discursus non diuiditur in syllogismum, enthymema, inductionem & exemplum, tanquam in species distinctas; sed solus syllogismus est verus, & formalis discursus; enthymema, inductio, & exemplum non sunt discursus, & consequentiæ formales, nisi quatenus ex illis potest fieri syllogismus. Ita Hurtad. disp. decima. Conimb. hic cap. primo, sect. secunda, art. tertio.

Prima ratio. Ratio est, quia tunc non est discursus, quando vnum non inferitur ex alio per consequentiam formalem: sed enthymema, inductio, & exemplum non inferunt vnum ex alio per consequentiam formalem, nisi ex illis fiat syllogismus, saltem virtualiter. Ergo non sunt discursus formales distincti à syllogismo. Probatur minor. Ut aliquid inferatur ex alio per consequentiam formalem, necesse est ut prædicatum, & subiectum vniantur prius cum aliquo tertio. Sed non vniuntur nisi in syllogismo: ergo in solo syllogismo est consequentia formalis, atque aded verus discursus; in aliis autem argumentationibus non est consequentia formalis, quia non concludunt vi formæ; sed tantum materialis, quia concludunt tantum vi materiæ, nisi quatenus ex illis singularis potest fieri syllogismus, de quo multa nunc querenda sunt.

SECTIO II.

Essentia syllogismi.

Syllogismi definitio. Certum est primò, benè definiri syllogismum, est Oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid à positis necesse est coningere, eo quod hoc sint. Id est, oratio, in qua ex præmissis rectè dispositis infallibiliter conclusio inferri potest; cuius explanationem repete ex Pharo.

Materia eius remotà. Certum est secundò, materiam remotam syllogismi esse tres terminos, qui ad omnem syllogismum necessariò requiruntur; maius extremum, minus extremum, & medium: materiam verò proximam esse tres propositiones, maiorem, minorem, & conclusionem; quia cum in syllogismo connexio prædicatum inter & subiectum inferatur ex vtriusque connexionem cum aliquo tertio, necesse est in syllogismo reperiri prædicatum & subiectum, quæ inter se connectantur; & medium, per quod connectantur: quod non potest fieri nisi in triplici propositione, quibus positis controuersum est, vtrum conclusio sit de essentia syllogismi: secundò vtrum sola: postremò, quomodo syllogismus sit simplex qualitas.

Conclusio materialiter sumpta est de essentia eius. Dico primò. Conclusio est de essentia syllogismi, etiam materialiter sumpta. Contra Valium quæst. secunda, capit. primo, & paucos alios, qui putant, solas præmissas esse de essentia syllogismi.

Ratio. Ratio est, quia discurre est cognoscere connexionem prædicati & subiecti, propter connexionem R. P. de Rhodes curf. Philosoph.

A nem eorum cum medio: sed hoc tam includit conclusionem, quam præmissas; quia ut cognoscatur huiusmodi connexio, debet in vna propositione medium iungi maiori extremo; in alia idem medium iungi minori extremo; & demum maius & minus extremum inter se iungi: ergo syllogismus tam essentialiter includit conclusionem, quam præmissas; imò magis, ut postea declarabitur. Confirmatur, quia possunt syllogismi specie distincti habere præmissas easdem, ut Barbara, & Baraptilon: ergo syllogismus includit essentialiter conclusionem.

Obiicies primò. Effectus non est de essentia suæ causæ: sed conclusio est effectus syllogismi; syllogismus enim facit scire, id est facit conclusionem, quæ est actualis scientia: ergo conclusio non est essentialis syllogismo.

B Respondeo, nego minorem, quia conclusio est effectus præmissarum, non autem effectus syllogismi, sed pars illius; idè quando dicitur, Syllogismus facit scire, distinguitur; facit scire formaliter, sicut albedo facit parietem album, concedo; facit efficienter, nego. Neque infest, Aristotelem primo priorum dicere syllogismum constare duabus propositionibus, & tribus terminis; nihil enim voluit aliud Aristoteles, quam ostendere conclusionem virtualiter in præmissis contineri, ex quibus infallibiliter sequitur.

Obiicies secundò. Illud est tantum essentia syllogismi, quo solo variato, variatur essentia syllogismi: sed variatis solis præmissis variatur essentialiter syllogismus: ergo solæ præmissæ sunt essentia syllogismi.

Eius solutio. Respondeo, nego minorem; primò enim æquè variatur syllogismus variata conclusione, ac variatis præmissis. Deinde benè notat Valques, conclusionem formalem necessariò variari, variatis præmissis, etiamsi non varietur materialiter.

Iudicium. Dico secundò. Sola conclusio formalis, siue iudicium illatiuum est tota essentia syllogismi, est tota essentia syllogismi, prout syllogismus est tertia operatio; præmissæ autem non nisi connotatiue, & in obliquo sunt essentielles syllogismo.

Conclusio dupliciter sumpta. Obserua, conclusionem sumi posse duobus modis. Primò materialiter, prout dicit solam connexionem prædicati & subiecti. Secundò formaliter, prout dicit connexionem prædicati, & subiecti propter connexionem vtriusque cum aliquo tertio. Conclusio materialiter sumpta neque connotat, ut vides; neque includit præmissas, neque ab illis dependet ut sic. Conclusio autem formalis dependet à præmissis, & illas connotat, imò fortassè includit, ut postea dicitur, & vocatur iudicium illatiuum, solèque explicari exemplo magnetis, qui ubi duas acus tetigit, illæ inter se connectuntur; ita ubi medium tetigit vtrumque extremum in præmissis, illa inter se connectuntur in conclusione; quam conclusionem formaliter sumptam contendo esse totam essentiam syllogismi in recto, præmissas autem non pertinere ad quidditatem syllogismi, nisi in obliquo.

Prima ratio. Ratio autem est, quia in eo formaliter consistit essentia syllogismi, per quod syllogismus differt à prima & secunda operatione: sed per solam conclusionem formalem syllogismus differt à prima & secunda operatione, quia præmissæ & conclusio ipsa materialiter sumpta præscindendo à iudicio illatiuo sunt tantum enunciationes: ergo sola conclusio formalis est essentialis syllogismo.

F 3 Obiicies

Obiectio
prima.

Obiicies primò. In eo est ratio formalis syllogismi, quod est ratio formalis, & motuum assensus conclusionis: sed dispositio medij termini est causa & motuum assensus conclusionis: ergo dispositio medij termini, quæ in solis præmissis continetur, est ratio formalis syllogismi.

Eius solutio.

Respondeo distinguendo maiorem: Illud est ratio formalis syllogismi in recto, quod est motuum assensus conclusionis, nego; est ratio formalis syllogismi in obliquo, & connotatiue, concedo. Præterea dici posset, dispositionem medij termini, quatenus est in præmissis, non esse motuum assensus conclusionis, sed tantum quatenus est in conclusione, modo inferius explicando.

Obiectio
secunda.

Obiicies secundò. Illud est ratio formalis syllogismi, & tota eius essentia, per quod essentialiter inter se differunt syllogismi: sed per dispositionem medij termini differunt inter se syllogismi essentialiter; nam figura, per quas essentialiter differunt syllogismi, sunt diuersæ dispositiones medij termini: ergo per præmissas syllogismi differunt essentialiter.

Solutio.

Resp. distingo minorem: sed per dispositionem medij termini syllogismi differunt essentialiter in recto, nego; differunt essentialiter in obliquo, concedo. Nam præmissæ sunt essentielles syllogismo. Secundò responderi potest, syllogismos inter se differre essentialiter per conclusionem formalem, non autem per dispositionem medij termini; nam diuersæ figuræ non differunt inter se essentialiter, quatenus sunt tertie mentis operationes, sed tantum quatenus sunt composita quædam physica, & includunt omnia, quæ dicunt tum in recto, tum in obliquo.

Neque dicas enthymema differre essentialiter à syllogismo; & tamen habere eandem conclusionem; nego enim enthymema habere eandem conclusionem formalem; vel si habeat eandem, non differt essentialiter à syllogismo secundum ea, quæ dicit in recto, sed secundum ea tantum, quæ dicit in obliquo. Et hinc clarè colligitur, nullum esse posse syllogismum purè apprehensiuum, cum tota essentia syllogismi sit iudicium illarium, sicut de enunciatione apprehensiuæ alias dictum est.

Conclusio
tertia.

Dico tertio. Syllogismus secundum ea, quæ dicit tantum essentialiter, & in recto, est vna simplex qualitas: secundum ea verò quæ dicit tum in recto, tum in obliquo, non est vna simplex qualitas, sed triplex operatio distincta.

Ratio manifesta est ex dictis; in recto enim syllogismus dicit solam conclusionem formalem; in recto autem & in obliquo dicit conclusionem, & præmissas; quod constabit adhuc clariùs ex *sect. quarta*.

SECTIO III.

Præmissæ syllogisticæ, siue artificiosa compositio syllogismi.

Principia
intrinseca
syllogismi
quænam
sint.

Certum est primò ex dictis aliis, principia formalia intrinseca syllogismi (quæ communiter vocantur artificialis forma syllogismi) esse *figuram*, & *modum*; ita vt quando syllogismus est in *figura*, & *modo*, dicatur esse artificiosè compositus, nec possit negari conclusio. Tota igitur syllogismi artificiosa compositio est ponere discursum in debita *figura*, & *modo*.

Tres figuræ.

Certum est secundò, figuras communiter numerari tres; modos autem in singulis figuris plures, vt alibi dictum est: quibus suppositis, quæ

A hoc loco repetenda non sunt, sicut neque regulæ tum generales, tum speciales syllogismorum, controuertitur primò, vtum sint tantum tres figuræ, an verò admitti debeant plures, & præsertim figura Galeni. Secundò vtum in sola prima figura dentur modi indirecti: reliqua ex Pharo petes.

Dico primò. Figuræ syllogisticæ naturales sunt tantum tres, nec plures inueniri possunt viles.

Obserua, duobus modis posse conclusionem sequi ex præmissis. Primò naturaliter: secundò præternaturaliter. Naturaliter sequitur conclusio, quando auditis præmissis animus statim fertur ad talem conclusionem; quod accidit quando extremum, quod fuit in maiori, est prædicatum conclusionis. Præternaturaliter sequitur conclusio, quando positæ præmissis sponte sua non fertur animus ad illam eliciendam. Quod accidit quando minus vniuersale prædicatur de magis vniuersali, seu quando illud extremum quod fuit in maiori, non est prædicatum conclusionis. His positis.

B Ratio conclusionis est, quia tot dantur figuræ naturales, quot dantur dispositiones medij termini, ex quibus sequatur conclusio necessariò, & naturaliter: sed triplex tantum reperitur dispositio medij, ex qua sequatur conclusio necessariò & naturaliter, quia medius terminus non potest aliter disponi, quam vt in vna præmissa subiiciatur, in altera prædicetur, vel in vtraque prædicetur, vel in vtraque subiiciatur: ergo tres tantum sunt figuræ syllogisticæ. Quod ex illis dispositionibus mediis sequatur conclusio necessariò, probabitur *sect. quarta*, cum ostendetur quibus principiis nitatur veritas conclusionis formalis. Quod autem sequatur naturaliter, probò. Tunc conclusio sequitur naturaliter, quando illud extremum, quod fuit in maiori, est prædicatum conclusionis: sed in tribus figuris hoc contingit: ergo tres figuræ concludunt naturaliter.

C Obiicies. Isti syllogismi non spectant ad vllam ex tribus figuris. Primò: Nullum non viuens est homo: nullus lapis est viuens: ergo nullus lapis est homo. Secundò: Omne non viuens est non homo: nullus lapis est viuens: ergo nullus lapis est homo. Tertiò: Si nullus homo esset sensitiuus, nullus homo esset animal: sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus.

D Resp. illos syllogismos vel non esse in forma, vel pertinere ad vnam ex tribus figuris. Nam primus quidem habet quatuor terminos, non viuens, homo, lapis, viuens. In secundo verò sunt quinque, non viuens, non homo, lapis, viuens, homo. Tertius autem est in Barbara, quia illa maior: Si nullus homo esset sensitiuus, nullus homo esset animal, implicite continet illam, Omne sensitiuum est animal, & illi æquiualeat, vt constabit ex dicendis *sect. quinta*, de syllogismo hypothetico. Atque ita hic syllogismus constat saltem æquiualeat ex tribus affirmatiuis vniuersalibus.

E Obiicies, etiam syllogismum expositorium non contineri in vlla ex figuris Aristotelicis. Verum Aristoteles loquebatur tantum de syllogismis scientificis; expositorium autem non curauit; quia de singularibus non est scientia: naturam tamen huius syllogismi exponemus *sect. quinta*. Præterea potest obici figura Galeni, quæ videtur esse distincta à tribus Aristotelicis: sed vt dissoluam.

Dico secundò. Figura Galeni, licet necessariò concludat, non est tamen naturalis, nec figura distincta à prima.

Obserua,

Tres tantum
sunt figuræ
syllogisticæ.
Conclusio
duobus
modis ex
præmissis
sequitur.

Obiectio.

Eius solutio.

Obiectio
secunda, &
eius solutio.Figura Ga-
leni non est
naturalis.

Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 67

Obserua, Galenum, vt refert Auerroës (nec enim apud Galenum reperitur) & tueretur ambitionem totius Medicorum Senatus, nouam quandam figuram voluisse inducere oppositam primæ figuræ. Nam cum prima figura medium terminum subiiciat in maiori, & prædicet in minori, figura Galeni medium terminum prædicat in maiori, & subiicit in minori; conclusio verò particularis est, & indirecta; vt, *Omne animal est sensitiuum: ergo aliquod sensitiuum est homo.* Quamuis, vt bene notat Mend. *disp. prima*, possit conclusio illa corrigi, & totidem modis hæc figura concludere, quot concludit prima figura, mutando semper maiorem in minorem. Quod inuentum puero etiam obuium, indignum videtur tanto ingenij Principe, suamque Archiatro.

Ratio est, quia falsò dicitur illa figura distincta esse à prima, quæ habet dispositionem medij eandem: sed figura Galeni habet eandem dispositionem medij cum prima figura: ergo falsò dicitur distingui à prima. Probo minorem. Prima figura exigit tantum vt medium semel subiiciatur, & semel prædicetur: sed figura Galeni hoc habet: ergo habet eandem dispositionem medij cum prima figura. Maior clara est, quia ordo diuersus pronuntiationis non potest facere distinctionem essentialem inter dispositionem medij: atqui figura Galeni habet tantum diuersum ordinem pronuntiationis: ergo non facit distinctionem essentialem, sed differt à *Buralipton*, sicut *Cesare* à *Camestres*.

Confirmatur. In figura Galeni maior subiicit medium, & minor prædicat: ergo est eadem cum prima. Probo antecedens. Maior propositio illa est, quæ est vniuersalior: sed figura Galeni necessariò debet in propositione vniuersaliori subiicere medium, & in minus vniuersali prædicare: ergo subiicit in maiori, & prædicat in minori, saltem in modis particularibus, cui respondent *Darii*, & *Eerio*. Quod autem hæc figura non sit naturalis, probatur ex eo quod concludat indirectè.

Dico tertid. Præter quinque modos indirectos primæ figuræ, admittendi sunt etiam in secunda & tertia figura modi indirecti, saltem in modis concludentibus vniuersaliter negatiuè, vel particulariter affirmatiuè.

Ratio est, quia illi modi sunt indirecti, in quibus id, quod in quæstione fuit prædicatum, est subiectum conclusionis. V. g. petitur vtrum homo sit animal? conclusio erit directa, si habeat: *Ergo homo est animal*; indirecta verò si habeat: *Ergo animal est homo*. Vel si maui, illi dicantur modi indirecti, quando extremum, quod fuit in maiori propositione, est subiectum conclusionis: sed hoc in secunda, & tertia figura potest fieri, sicut in prima: ergo in secunda, & tertia figura possunt esse modi indirecti sicut in prima. Probo minorem. In *Cesare*, sic fieri potest argumentum: *Nul-lus homo currit: omnis leo currit: ergo nullus homo est leo*. In tertia figura potest formari hoc argumentum in *Disantis*, sic: *Aliquis homo currit: omnis homo est albus: ergo aliquod currens est albus*. Et sic de alijs.

Obiicies primò, Aristotelem nullos attulisse modos indirectos pro secunda & tertia figura. Deinde modus indirectus est quando id, quod non fuit prædicatum, vel subiectum in præmissis, prædicatur vel subiicitur in conclusione: sed hoc non potest fieri in secunda figura, quæ bis prædicat medium: nec in tertia figura, quæ illud bis subiicit; semper enim id quod fuit prædicatum in præmissis, prædicatur in conclusione in tertia fi-

gura; & quod fuit subiectum in præmissis, subiicitur in conclusione secunda figuræ: ergo in secunda & tertia figura non sunt modi indirecti.

Resp. Aristotelem non attulisse modos indirectos secunde, & tertiæ figuræ, quia fuisset inutile illos dicere. Ad argumentum autem nego maiorem, quia modus indirectus ille est, quando illud extremum, quod fuit in maiori, non est prædicatum conclusionis.

Obiicies secundò. Sic multa fieri possunt sophismata, quibus responderi non potest; vt, *Om-nis homo est cognoscibilis à Deo: nullus homo est Angelus. Ergo aliquis Angelus non est cognoscibilis à Deo*. Et alia multa huiusmodi possunt fieri.

Resp. illud argumentum non esse in forma, quia prædicatum, *cognoscibile à Deo*, quod distributum non fuit in præmissis, distribuitur in conclusione; sicut cum dicitur, *Omne animal est sensus capax: omne animal est substantia: ergo omnis substantia est sensus capax*. Ratio autem, cur prædicatum illud *cognoscibile à Deo*, non distribuatur adæquatè in maiori, est quia est prædicatum propositionis affirmatiuæ, quod nunquam adæquatè distribuitur in conclusione, quia est prædicatum propositionis negatiuæ. Alia de figuris, & modis illarum carent difficultate, præter illarum regulas, quarum aliquas expendemus *scilicet quinta*.

SECTIO IV.

Essentia, & proprietates conclusionis formalis.

Conclusio formalis, vt diximus, est in recto totus syllogismus, cuius natura, & proprietates vt cognoscantur, expendenda sunt quinque, vtrum scilicet conclusio formalis sit vnus actus, an verò plures: an includat præmissas, & in illis includatur: an sequatur necessariò positæ præmissis: an sequatur debiliorem partem præmissarum: an, & quare sit infallibilis.

§. I.

Vtrum conclusio formalis sit vnus actus.

Deo primò. Iudicium illatuum, siue conclusio formalis, est realiter vnus actus, virtualiter tamen multiplex, includens in actu exercito iudicium consequentiæ, & consequentis. Ita *Comimb. primo poster o. primo, quæst. tercia. ari. quinto. Gillius lib. secundo, tract. 4.* contra plures Philosophos, & Theologos, qui putant in omni conclusione formali (v. g. in hac: *Ergo Petrus est rationalis*,) necessariò duos actus interuenire realiter distinctos, quorum vnus vocetur iudicium consequentiæ, quo iudicamus conclusionem sequi ex præmissis; alter vocetur iudicium consequentis, quo iudicamus conclusionem esse veram: quod nos negamus.

Ratio autem est primò, quia sicut actus fidei diuina, quo credimus v. g. Christum resurrexisse, quia Deus dixit, est vnus simplex actus, quo credimus ipsam resurrectionem, & reuelationem, tanquam motiuum illius credendæ; ita eodem modo vnus est actus, quo assentimur conclusioni propter præmissas, ex quibus sequitur conclusio; & ipsi iudicio consequentiæ. Vnde sic argumentor vniuersaliter. Obiectum materiale, & obiectum formale cognoscuntur eodem actu: sed iudicium consequentiæ, saltem virtualiter, est obiectum formale,

Eius solutio.

Obiectio 1.

Eius responsio.

Proprietates conclusionis formalis.

Conclusio formalis est realiter vnus actus.

Probatur primò.

In 2. & 3. figura modi indirecti admittendi.

Ratio.

Obiectio 1.

68 Philosophiæ Peripateticæ Liber I.

& motuum assensus conclusionis: ergo cognoscitur eodem actu, quo iudicium consequentis. Neque dicas hinc sequi, præmissas & conclusionem esse unum actum. Nego enim præmissas esse motuum assensus conclusionis, nisi quatenus confusè continentur in ipsa conclusione, sicut postea declarabitur.

Secundo. Secundò, quacumque simplici cognitione intellectus possumus cognoscere dependentiam unius ab alio, & ens dependens: sed consequentia est velut dependentia, & consequens velut dependens: ergo eadem cognitione consequentiam, & consequens cognoscere possumus.

Tertiò. Tertiò, Ratio à priori est, quia conclusio formalis non includit formale iudicium consequentiae, sed solum virtuale; id est, non exigitur in syllogismo, ut reflexè, & in actu signato cognoscam conclusionem ex præmissis bene inferri: ergo conclusio formalis non est duplex actus, sed unus. Consequentia clara est: probo antecedens. Intellectus sufficienter determinatur per præmissas ad eliciendam conclusionem; nam in illis euidenter continetur identitas prædicati & subiecti, saltem virtualiter: ergo non requirit reflexum, & formale iudicium consequentiae, sicut non requiritur ut voluntas reflexè feratur in bonum sub ratione amandi, ut possit illud amare. Neque dicas hinc sequi, conclusionem non esse intrinsecè conclusionem, sed tantum per denominationem extrinsecam; quod absurdum est. Nego enim hoc sequi, quia conclusio est intrinsecè conclusio, eo quod virtualiter, & in actu exercito includat iudicium consequentiae, & ipsas præmissas, modo explicando.

Obiicies primò. Omnis causa distinguitur à suo effectu: sed iudicium consequentiae est causa iudicij consequentis: ergo ab eo distinguitur.

Resp. primò, nego minorem, quia, ut mox dicebam, præmissae sunt causa iudicij consequentis: iudicium autem consequentiae non necessariò reperitur in syllogismo. Secundò distinguitur maior: Omnis causa efficiens distinguitur à suo effectu, concedo; omnis causa formalis, nego: nam forma v. g. Angeli est ipsamet eius essentia: ergo causa formalis non necessariò distinguitur à suo effectu formali: iudicium autem consequentiae, quod reperitur in conclusione syllogismi, non est causa efficiens, sed causa formalis iudicij consequentis.

Obiicies secundò. Idem iudicium non potest esse simul verum & falsum: sed iudicium consequentiae sæpè verum est, quamvis sit falsum iudicium consequentis, ut in syllogismis illatiis: ergo non est unus actus.

Confirmatur. Potest reperiri iudicium consequentiae sine ullo iudicio consequentis, cum v. g. iudicamus præmissas esse falsas, & tamen conclusionem bene ex illis sequi: ergo illa duo iudicia distinguuntur.

Respondco, distingo maiorem. Impossibile est aliquod iudicium esse verum formaliter, & falsum formaliter, concedo: esse verum formaliter, & materialiter falsum, nego. Sed iudicium consequentis est sæpè falsum in syllogismis illatiis, vero existente iudicio consequentiae, distingo minorem; est falsum materialiter, concedo; est falsum formaliter, nego; quia iudicium consequentis est veluti obiectum materiale; iudicium autem consequentiae est veluti obiectum formale.

Ad confirmationem concedo, posse aliquando reperiri iudicium consequentiae sine iudicio conse-

quentis: in hoc v. g. syllogismo illatio: Omne A, est B: omne B, est C: ergo omne C, est A. Et contrà, posse reperiri iudicium consequentis sine iudicio consequentiae, ut in syllogismis, qui non sunt in forma, sed concludunt ratione materiae. Et tunc fateor iudicium consequentiae distingui à iudicio consequentis; sed nego illa iudicia semper distingui, quamvis possint distingui. Eadem est responsio si dicas, non posse idem iudicium esse simul affirmativum, & negativum: sed si iudicium consequentiae sit unus actus cum iudicio consequentis, idem actus erit affirmativus, & negativus; si enim conclusio sit negativa, iudicium consequentis est negativum, iudicium verò consequentiae affirmativum: ergo non potest idem actus esse iudicium consequentis, & consequentiae. Primò enim distingo maiorem: non potest idem iudicium esse formaliter affirmativum, & formaliter negativum, concedo; materialiter negativum, & formaliter affirmativum, nego. Secundò nego, iudicium consequentiae necessariò reperiri formaliter in conclusione formali: potest autem iudicium esse formaliter negativum, & affirmativum virtualiter.

§. II.

An conclusio includat præmissas, & in illis includatur.

Conclusio saltem confusè includit præmissas. Dico secundò. Conclusio includit necessariò præmissas actu, & formaliter, saltem confusè; in præmissis autem non continetur actu, sed virtualiter. Ita Ruuius *quest. sexta*, Arriaga *fusè sect. quarta*: contra multos, quorum aliqui dicunt, præmissas in conclusione includi tantum habitu, ut Vasquez, Fonseca, &c. Alij autem dicunt includi virtualiter & connotatiue; tribus enim modis conclusio potest includere assensum præmissarum. Primò, habitu, quia ubi præterierunt, relinquunt in intellectu habitum scientificum facilitantem ad eliciendos similes actus. Secundò virtualiter, quatenus conclusio connotat præmissas, à quibus pendet. Tertiò formaliter, si intellectus actu cogitet de præmissis, saltem confusè, dum infert conclusionem; quod ultimum asserimus.

Ratio est, quia conclusio est intrinsecè, & essentialiter conclusio: sed non potest esse conclusio intrinsecè, & essentialiter, nisi in conclusione actu cognoscantur præmissae: si enim extrinsecè tantum illas connotet, & ab illis pendeat, poterit hæc dependentia, & connotatio separari ab illa: ergo conclusio includit necessariò præmissas. Probatur maior. Si conclusio non esset intrinsecè conclusio, non esset maior ratio, cur conclusio esset potius conclusio, quam præmissae in omni syllogismo expository, ut cum dicitur: *Hic homo est fur: Petrus est hic homo: ergo Petrus est fur*. Potest enim conclusio esse præmissa, si dicas: *Petrus est fur: Petrus est hic homo: ergo hic homo est fur*.

Secundò, & à priori, particula, *ergo*, necessariò significat aliquid quod cognoscatur actu: sed non cognoscitur formaliter dependentia à præmissis: ergo non significat solam dependentiam à præmissis, sed ipsas præmissas.

Tertiò: obiectum materiale, & obiectum formale cognoscuntur eodem actu, v. g. in actu fidei non possum cognoscere articulum propter reuelationem, quin eodem actu, saltem confusè, cognoscam reuelationem: sed connexio prædicati & subiecti cum medio est obiectum formale assensus conclusionis:

Obiectio prima.

Eius solutio.

Obiectio secunda.

Eius, & confirmationis solutio.

Conclusio saltem confusè includit præmissas.

Probatur primò.

Secundò.

Tertiò.

Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 69

conclusionis : ergo obiectum præmissarum cognoscitur necessariò in conclusione.

Quartò. Præmissæ syllogismi non tantum ostendunt evidenter connexionem prædicati cum subiecto, sed etiam rationem illius connexionis, quæ in præmissis continetur : ergo intellectus in conclusione non solum cognoscit connexionem prædicati & subiecti, sed rationem motiuam illius, scilicet præmissas.

Confirmatur. Quando intellectui proponitur evidenter aliqua connexio duorum cum tertio, necessariò illam cognoscit : sed per præmissas evidenter proponitur intellectui veritas conclusionis ut connexa cum veritate præmissarum : ergo necessariò illam cognoscit.

Denique præmissæ causant conclusionem illuminando intellectum, & illum inclinando ad eliciendam conclusionem : sed non possunt illuminare intellectum, quando non sunt : ergo cum elicitur conclusio, præmissæ debent esse in intellectu, saltem confusè.

Obiicies primò. Si assensus conclusionis includeret obiectum præmissarum, nunquam possemus recordari conclusionis, quin recordaremur etiam præmissarum, quod est contra experientiam.

Respondeo, nunquam nos posse recordari conclusionis elicite, quin confusè recordemur præmissarum; neque hoc est contra experientiam.

Neque dicas. Sæpe recordamur alicuius conclusionis, aliàs demonstratæ, quamvis non recordemur medij, per quod demonstrata est; & tamen illi statim assentimur.

Solutio. Resp. tunc fieri syllogismum in mente, propter quem assentimur conclusioni, quamvis non recordemur præmissarum : ille autem syllogismus est: *Quidquid est à me aliàs demonstratum, verum est: hæc conclusio à me demonstrata est aliàs: ergo vera est.*

Obiicies 2. Obiicies secundò. Si conclusio includit actum obiectum præmissarum, frustra eliciuntur præmissæ, sed conclusio sufficit.

Solutio. Respondeo, nego sequelam; quia conclusio non potest repræsentare obiectum præmissarum, & suum, quin præcesserint præmissæ. Neque dicas, esse absurdum, & contra experientiam dicere, repeteri præmissas in conclusione. Dico enim, illas repeteri mentaliter, saltem confusè in conclusione. Nam id, quod in mente respondet particula, ergo, sunt ipsæ præmissæ confusè cognitæ.

Obiicies 3. Obiicies tertio. Potest aliquando ex falsis præmissis sequi vera conclusio : ergo si conclusio includat præmissas, erit vera, & falsa simul.

Respondeo, tunc conclusionem esse veram, & falsam respectu diuersorum : veram quatenus attingit obiectum conclusionis; falsam autem quatenus attingit obiectum præmissarum.

S. III.

Utrum conclusio sequatur necessariò ex præmissis.

Deo primò. Positis præmissis intellectus necessitatur ad eliciendam conclusionem necessitate specificationis, non necessitate tamen secundum exercitium, si à voluntate impediatur, vel ab alia aliqua vehementi distractione. Ita communiter recentiores cum Ruino primo post. cap. primo, quæst. octaua. Aueris quæst. 25. Lorca lect. tertia: contra Sanctum Thomam prima parte, quæstion. 82. art. secundo, & sæpe alibi; Scorum in

A primò, dist. prima, quæst. quarta, Durandum; & Fonseca, sexto Metaph. cap. primo, quæst. 4. sect. quarta, Conimb. primo post. c. primo, q. 4. art. quarte. Hurt. disp. septima, de anima, sect. quarta, Atriag. disp. 15. lect. sexta.

B Oblerua primò, in homine solam voluntatem esse potentiam liberam intrinsecè, quia sola habet potentiam agendi, & non agendi in sensu commposito; alias tamen potentias esse liberas extrinsecè, quatenus subduntur imperio voluntatis, quæ tribus modis se habet circa potentias. Primò enim aliquibus imperat despoticè, id est absolute, sine vlla rebellionem, v. g. potentia motrici voluntas ita imperat, ut si velim mouere manum, illicò manus necessariò moueri debeat sine vlla resistentia. Secundò aliis potentiis imperat politicè, id est cum aliqua difficultate, v. g. appetitus sensituius, imaginatio, & intellectus obediunt quidem voluntati imperanti, sed resistere tamen aliquo modo possunt, & cum aliqua difficultate sequuntur imperium; sed tamen sequuntur. Tertio aliquæ sunt potentia, quibus nullo modo imperat voluntas, ut aures, oculi, alique sensus externi; si enim adfit sonus, necessariò audio; si calor tangat manum, necessariò sentio, &c.

C Oblerua secundò, necessitatem ad agendum esse duplicem. Prima est quoad speciem, secunda quoad exercitium. Necessitas quoad speciem est cum aliqua potentia potest circa aliquod obiectum elicere actum talis speciei, & non contrarium; assensum v. g. & non dissensum; volitionem, & non nolitionem. Libertas illi opposita vocatur libertas contrarietatis, potentia scilicet faciendi hoc, vel illud ei contrarium. Necessitas quoad exercitium est qua necessariò elicitur actus, ut oculus necessariò videt. Libertas illi opposita dicitur libertas contradictionis, quam habet v. g. voluntas, quæ potest agere, vel non agere. Dicimus ergo in conclusione, intellectum, qui nullo modo est liber secundum se, subest tamen politico imperio voluntatis, positis præmissis non posse elicere assensum contrarium conclusioni, vel illam negare; posse tamen non elicere conclusionem, si vel voluntas imperet intellectui, & illam cohibeat, vel certe ad aliam vehementem cogitationem traducat.

D Ratio primæ partis est, quia falso clarè cognito, intellectus assentiri non potest; sed conclusio contraria conclusioni, quæ sequitur ex præmissis, est falsum clarè cognitum : ergo, non potest intellectus illi assentiri. Præterea vero clarè cognito non potest intellectus dissentiri : conclusio quæ sequitur ex præmissis, clarè cognoscitur ut vera : ergo intellectus illi non potest dissentiri. Ratio à priori est, quia obiectum intellectus est verum; ergo non potest per imperium voluntatis intellectus assentiri falso clarè cognito, sicut non potest voluntas ferri in malum cognitum.

E Ratio secundæ partis, quæ sola negatur ab aduersariis, est quia voluntas imperat politicè intellectui, alioqui cogitationes prauæ non essent peccata, quia voluntas non posset eas impedire. Deinde voluntas non minus potest imperare intellectui, quam phantasia, & appetitui sensitui: sed appetitui sensitui & phantasia potest imperare politicè : ergo & intellectui. Confirmatur primò, quia elicitis præmissis fieri potest ut intellectus tanta distractione cogitationem aliò auertat, ut de præmissis amplius non cogitet: sed tunc non eliciet conclusionem : ergo positis præmissis potest intellectus non elicere conclusionem, saltem si ex aliqua distractione cogitatio eius aliò applicetur.

Sola voluntas in homine libera est.

Necessitas ad agendum duplex.

Ratio primæ partis.

Ratio 2. partis.

ut lolemus phantasmam cohibere auertendo eam aliò. Confirmatur secundò. Ex iisdem præmissis potest sæpè diuersa conclusio inferri: tunc non elicitur duplex conclusio: ergo non inferitur vlla necessariò.

Obiectio 1.

Obiicies. Posita causa naturali, quæ habet omnia ad agendum requisita, necessariò sequitur effectus: sed intellectus est causa naturalis, & nullo modo libera, adfuntque omnia ad agendum requisita, positis præmissis: ergo necessariò ponitur conclusio positis præmissis.

Confirmatur. Intellectus posita certa & euidentia veritate, non est magis liber ad intelligendum, quam oculus ad videndum, vbi adest color illuminatus: sed tunc voluntas non potest impedire visum: ergo positis præmissis non potest voluntas impedire intellectum.

Eius solutio.

Resp. distinguo maiorem. Posita causa naturali, quæ nullo modo est libera, etiam extrinsecè, sequitur necessariò effectus, concedo; posita causa naturali, quæ est libera extrinsecè, sequitur necessariò effectus, nego. Causa libera extrinsecè vocatur illa, quæ subest saltem politicè imperio libera voluntatis, qualis est intellectus, qui est causa naturalis; sed quia obedit politicè voluntati, dicitur liber extrinsecè. Vnde ad confirmationem nego paritatem; oculus enim nullo modo est liber, etiam extrinsecè, quia non subest imperio voluntatis, etiam politicè, vt experientia docet.

Instantia 1.

Instabis primò. Voluntas impedit intellectum, vel per subtractionem concursus, vel per actionem aliquam positivam: neutrum dici potest: ergo non impedit.

Eius solutio.

Resp. intellectum neutro illo modo impediri à voluntate, sed per imperium, & sympathiam inter eas potentias; quæ sympathia efficit, vt ea, quæ subdita est, statim pareat imperio superioris, vt patet in potentia motiua respectu appetitus. Quid autem illa sit sympathia potentialium radicatarum in eadem anima, longa est disputatio, quæ hîc locum non habet.

Secunda.

Instabis secundò. Voluntas non potest imperare intellectui circa obiectum euidentem; v. g. intellectus non potest cogi, vt assentiatur falso cognito: sed positis præmissis etiam in materia probabili, euidenter sequitur conclusio: ergo voluntas non potest impedire conclusionem positis præmissis, saltem si feruetur in intellectu cogitatio præmissarum.

Eius solutio.

Resp. distinguo maiorem. Voluntas non potest imperare intellectui circa obiectum euidentem secundum specificationem actus, concedo; secundum exercitium actus, nego: si enim imperaret secundum speciem actus, intellectus egrederetur extra totam sui obiecti latitudinem.

Tertia.

Instabis tertio. Voluntas non potest non amare bonum clarè cognitum: ergo nec potest intellectus non assentiri vero clarè cognito.

Eius solutio.

Resp. distinguo antecedens. Voluntas non potest non amare summum bonum clarè cognitum, concedo; non potest non amare bonum clarè cognitum, quod non est summum bonum, nego: & idem dicendum est de summo vero; intellectus enim circa illud clarè cognitum non potest cohibere assensum, sed circa alia vera potest.

Quarta.

Instabis quarto. Si posset voluntas imperare intellectui cessationem actus, ad quem fertur per præsentiam obiecti, sequeretur per imperium voluntatis posse impediri visionem beatam intella-

ctus informati lumine gloriæ, quod est absurdum, sequeretur enim, beatitudinem esse necessariò perpetuam.

Resp. nego sequelam; ratio enim cur voluntas non possit impedire visionem beatam, est quia non potest velle cessationem illius visionis; in illa enim cessatione non potest apprehendere vllam rationem boni: ergo non potest illam velle, alioqui egrederetur extra totam latitudinem obiecti sui: potest autem apprehendere aliquam rationem boni in cessatione conclusionis, vnde illam potest impedire.

Instabis quinto. Quando obiectum est euidentem, intellectus non eget determinatione voluntatis; nam v. g. si videam Petrum præsentem, non est opus, vt voluntas mihi imperet, vt credam Petrum esse præsentem. Imò non potest imperare intellectui voluntas, ne assentiatur illum esse præsentem. Item si videam hominem ambulantiem, & aliquis dicat, *Homo ambulat*, non possum illi non assentiri: ergo positis præmissis euidentibus, non potest intellectus non elicere conclusionem.

Resp. determinationem voluntatis posse sumi vel positivè, vel negativè. Sumitur positivè quando voluntas imperat operationem. Negativè sumitur, quando voluntas non imperat cessationem ab actu. Intellectus non eget determinatione positiva voluntatis, vt opeatur circa obiectum euidentem; sed exigit determinationem negativam, id est exigit vt voluntas non imperet cessationem ab actu. Et hoc etiam in exemplis allatis verum est; nam v. g. si videam Petrum præsentem, potest voluntas aliò auertere cogitationem intellectus, & suspendere assensum illius circa præsentiam Petri.

Instabis sexto. Per formam syllogismi euidenter cognoscit intellectus obiectum præmissarum, & conclusionis esse idem; imò cognoscit præmissas & conclusionem idem esse: ergo si assentitur præmissis, & illarum obiecto, assentitur necessariò conclusioni, & illarum obiecto.

Resp. nego antecedens; obiectum enim præmissarum differt saltem ratione ab obiecto conclusionis; vnum enim inferitur ex alio: conclusio ex præmissis sequitur, sed non est idem quod præmissarum obiectum.

Instabis denique. Voluntas posita efficaci voluntate finis, & oblato necessario medio ad illum finem assequendum, non potest non velle hoc medium: sed vt se habent media & finis in agibilibus; ita principia & conclusio in speculativis: ergo positis principiis, intellectus necessariò fertur in conclusionem.

Resp. nego minorem. Disparitatis ratio est, quia voluntas efficax finis, vt sic, est voluntas medium; cognitio autem præmissarum distinguitur realiter à cognitione conclusionis.

§. IV.

Verum conclusio sequatur semper debiliorem partem præmissarum.

Deo quarto. Conclusio formaliter sumpta, & vt deducta, sequitur semper debiliorem partem præmissarum, quamvis sumpta materialiter, & prout explicata, possit esse perfectior præmissis. Id est, conclusio sequitur conditionem illius præmissæ, quæ est imperfectior: v. g. si vna præmissa est particularis, & altera vniuersalis, conclusio est particularis; si vna est affirmatiua, altera negatiua, conclusio

Satisfit.

Quinta.

Satisfit.

Sexta.

Satisfit.

Septima.

Satisfit.

Conclusio vt deducta sequitur debiliorem partem.

Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 71

conclusio est negativa; si vna est evidens, altera probabilis, conclusio est probabilis; si vna necessaria, altera contingens, conclusio est contingens, &c. Ita omnes fere Philosophi post Aristotelem lib. primo priorum, cap. 9. & octavo. Vide Albertinum temo primo, quæst. 3. tota.

Conclusio
duobus mo-
dis sumitur.

Obserua primò, conclusionem syllogismi sumi posse duobus modis: primò formaliter, siue proptèr evidentiam discursus tanquam obiecti formalis. Conclusio ut explicata, est quæ nititur discursu, tanquam ratione formali assentiendi; seu cui assentimur proptèr evidentiam discursus tanquam obiecti formalis. Conclusio ut explicata, est quæ supponit quidem discursum tanquam conditionem præuiam, sed non illo innititur, ut ratione assentiendi, sicut assentimur articulis fidei proptèr solam, & puram Dei reuelationem; non autem proptèr miracula, vel alia, quæ vocantur *Motiva credibilitatis*, licet illa necessariò prærequisita fuerint, ut scirem hos articulos esse reuelatos & credendos fide diuina. Breuius dici posset: Conclusio ut deducta, est conclusio secundum ea, quæ habet vi formæ: conclusio ut explicata, est conclusio secundum ea, quæ habet ab obiecto.

Communis
regule ex-
plicatio.

Obserua secundò, communem hanc regulam: *Conclusio sequitur deteriorem partem præmissarum*, explicari posse dupliciter. Primò enim Gillius lib. primo, tract. sexto, cap. tertio, ita illud explicat, *Conclusio sequitur deteriorem partem præmissarum*, non quòd sit æqualis præmissæ imperfectiori, sed quòd sit semper imperfectior quàm perfectior præmissa: sicut mulus altero parente imperfectior est, altero perfectior. Secundò ita communiter explicatur: *Conclusio sequitur deteriorem partem*; conclusio proptèr est in syllogismo, & secundum ea, quæ habet vi formæ, non potest esse perfectior vllâ præmissâ, ex qua deducitur; sed si vna præmissa sit necessaria, & altera contingens, conclusio erit contingens; si vna præmissa sit evidens, altera verò probabilis, conclusio ex vi formæ erit probabilis; & ita de reliquis. Prima explicatio posset sufficere; secunda tamen communior est, & verior.

Ratio 1.

Ratio est primò, quia effectus non potest superare suam causam adæquatam: sed si conclusio esset perfectior aliquâ præmissâ, effectus superaret suam causam adæquatam: ergo non potest conclusio esse perfectior præmissâ imperfectiori. Probo minorem. Connexio prædicati & subiecti cum medio est indiuisibiliter tota causa cognoscendi connexionem prædicati & subiecti: sed si conclusio sit perfectior alterâ præmissâ, conclusio erit perfectior connexionem prædicati, & subiecti cum medio: ergo effectus erit perfectior suâ causâ adæquatâ. Probo minorem. Si conclusio sit perfectior alterâ præmissâ, connexio prædicati & subiecti erit perfectior connexionem prædicati & subiecti cum medio: sed connexio prædicati, & subiecti est conclusio: ergo conclusio erit perfectior totâ connexionem prædicati, & subiecti cum medio. Ratio ergo in eo si a est, quia cum intellectus connectere debeat extrema conclusionis, eo quod in præmissis coniunxerit illa cum medio, non potest melius, nec clariùs eadem extrema coniungere in conclusione, quàm in præmissis coniunxerit cum medio.

Ratio 2.

Alterâ ratio est, quia assensus conclusionis ita indiuisibiliter pendet ab vtrâque præmissâ, ut nullo modo influat vna sine alia; illud enim, quod influit, est vnica connexio medijs cum vtroque extremo: vnde fere tam imperfectè iunguntur inter se prædicatum, & subiectum, si vnum illorum im-

A perfectè iungatur medio, quàm si vtrumque imperfectè iungeretur.

Confirmatur hæc ratio in exemplo. Cum vna præmissa sit necessaria, & altera contingens, tunc conclusio est absolute contingens: quod probo. Tunc conclusio est absolute contingens, quando ratio connexionis est contingens: sed quando vna præmissa sit contingens, tunc ratio connexionis est contingens: quod probo. Ratio connexionis est connexio cum medio termino: sed in his medijs terminis iungitur minori extremo contingenter: ergo illa ratio connexionis est contingens.

Obiicies primò, Quotiescumque duæ causæ ad aliquem effectum concurrunt, & vna ex illis est perfectior alterâ, effectus assimilatur perfectiori: ergo conclusio potest esse perfectior vnâ præmissâ. Antecedens probatur. Sint duo homines trahentes aliquod pondus, vnus altero potentior; tractio ponderis sequitur virtutem potentioris. Ad videndum Deum requiritur intellectus naturalis, & lumen gloriæ supernaturale; sequitur effectus supernaturalis, scilicet visio beata. Demùm actus est vitalis, ad quem tamen concurrunt habitus non vitalis simul cum potentia vitali. Et ita de multis alijs dicendum est.

Resp. dupliciter posse concurrere duas causas ad aliquem effectum. Primò diuisibiliter, ita vt influxus vnus sit distinctus ab influxu alterius, & ab eo non pendeat: v. g. cum duo homines trahunt nauim, cum intellectus & habitus producant actum, cum equus & alina producant mulum; & tunc certum est effectum magis assimilari causæ perfectiori, quàm imperfectiori. Secundò, duæ causæ concurrunt ad eundem effectum indiuisibiliter; ita vt influxus vnus totus pendeat ab influxu alterius, & ab illo impediatur; & tunc effectus non assimilatur causæ perfectiori, sed imperfectiori: v. g. potentia motiua, & tibia requiruntur ad motum; etiamsi prima sit robusta, modò tibia sit clauda, motus producet claudicationis. Eodem modo vna præmissa ex se nihil potest in ordine ad eliciendam conclusionem, sed vtrâque indiuisibiliter se habent ratione vnus medijs, seu connexionis medijs cum extremis. Medium ergo non poterit esse ratio cur intellectus certò & euidenter connectat extrema, nisi cognoscatur certò, & euidenter connexum cum extremis; assensus enim conclusionis ab vtrâque præmissâ pendet indiuisibiliter: atque vt tubus, etiamsi ex altera parte amplum foramen habeat, si tamen ex altera foramen habeat perangustum, aqua transiens per illum accommodatur foramini angustiori, eodem modo conclusio deriuatur ex præmissis, quarum vna est imperfectior aliâ. Vnde ad argumentum facile distinguo antecedens, & ad probationem nego paritatem inter præmissas, & exempla ibi allata; in iis enim sunt plures influxus, quorum vnus non impedit alium.

Obiicies secundò. Cum vna præmissa sit necessaria, & altera contingens, conclusio sequitur necessaria, vt patet in his exemplis: *Omne currens necessario mouetur*: (est necessaria) *Petrus est currens: ergo necessario mouetur*. Item: *Omne admirans est rationale: omnis homo est admirans: ergo omnis homo est rationalis*, vbi minor est contingens, conclusio autem necessaria.

Resp. in iis exemplis conclusionem formaliter sumptam, siue vt deductam, esse simpliciter contingentem, quamuis in secundo exemplo conclusio materialiter sumpta, & vt explicata, sit necessaria. Neque obstat, quod in conclusione primi syllogismi

Ratio

Obiectio 1.

Si satisfit

Secunda

Ei satisfit

Syllogismi dicatur: *Ergo Petrus necessario mouetur*; quia illud, *necessario*, significat tantum necessitatem consequentem, quæ non tollit contingentiam; nam ex suppositione, quod Petrus curat, necessario currit, & consequenter necessario mouetur.

Instabis primò. Quando maior est necessaria, & minor contingens, qualis est syllogismus ille allatus: *Omne currens necessario mouetur*; tunc conclusio est necessaria, saltem ex suppositione maioris. Quando autem maior est contingens, & minor necessaria, ut: *Omne animal mouetur: Petrus est animal: ergo Petrus mouetur*; tunc conclusio est planè contingens.

Resp. primò, utramque conclusionem esse necessariam equaliter, id est ex suppositione; in conclusione tamen secundi syllogismi non exprimi necessitatem sequentem, quia prædicatum conclusionis esset diuersum à prædicato maioris, in quo non exprimitur necessitas sequens. Secundò responderet fusi Albertinus, quoties maior propositio est necessaria, & minor contingens, conclusionem esse necessariam ex suppositione, quia prædicatum iungitur subiecto ratione medij termini: sed si maior sit necessaria, prædicatum iungitur medio termino necessario: ergo & subiecto iungitur necessario ex suppositione, ratione medij termini: si autem prædicatum non coniungatur medio terminò necessario, id est, si maior propositio sit contingens, & minor necessaria, sequitur conclusio solum contingens, quia prædicatum, quod non vitur medio termino necessario, non potest vniri subiecto ratione medij termini, nisi contingenter; & hoc est fundamentum quatuordecim regularum, quas tradit Aristoteles *lib. primo priorum, cap. 8. 9. & 10.* & explicat Albertinus supra, *dubitatione secunda, num. 12.*

Tertia.

Obiicies tertid. Cum vna præmissa est certa & euidens, & altera probabilis, conclusio sequitur euidens, & certa, ut, *Omne risibile est animal rationale: omnis homo est risibilis: ergo est animal rationale.* Vbi conclusio est euidens præmissis, cum sit differentia constitutiva, & medium demonstrationis à priori. Huc referuntur conclusiones Theologicæ, in quibus ex vna præmissa de fide, altera naturaliter euidens, vel aliquando tantum probabilis, sequitur conclusio de fide; ut, *Omnis homo est animal rationale: Christus est homo: ergo Christus est animal rationale.* Vbi maior est euidens naturaliter; minor autem & conclusio sunt de fide. Item, *Omne Concilium legitime congregatum est adiuuandum: Concilium Tridentinum est legitime congregatum: ergo est adiuuandum.* Vbi maior est de fide; minor autem tantum probabilis naturaliter, conclusio autem certa de fide. Item, *Omnis Pontifex electus legitime, est verus Pontifex: Alexander VII. est electus legitime: ergo est verus Pontifex.* Vbi minor est tantum probabilis; maior autem & conclusio (ut omnes ferè censent) sunt de fide.

Eius solutio.

Resp. tunc conclusionem formaliter sumptam, & ut deductam, non esse perfectiorem præmissis; sed tantum ut explicatam. In primo enim syllogismo conclusio ut deducta non est magis euidens, quam minor propositio. In aliis autem exemplis conclusiones illæ Theologicæ non sunt de fide, prout deductæ, sed prout explicatæ: id est, non sunt articuli fidei, quatenus nituntur discursu tantum ratione assentiendi, sed tantum quatenus reuelatæ sunt à Deo; quæ reuelatio explicatur per discursum; fides enim assentitur obiecto propter solam reuelationem primæ veritatis. Imò illæ conclusiones non possunt esse de fide, nisi qua-

A tenus altera illa præmissa continetur sub præmissa de fide.

Instabis primò. Quando vna præmissa est supernaturalis, & de fide; altera verò est naturaliter euidens, tunc conclusio est supernaturalis simpliciter, secundum suam entitatem. Nam v. g. conclusio theologica, ut sic, est supernaturalis: ergo est perfectior præmissis, etiam ut deducta.

Instantia prima.

Resp. nego antecedens; puto enim actum, & habitum theologicum esse simpliciter naturalem, contra Gillium, Fasellum, Molinam, &c. quamuis enim obiectum eius formale remotum sit supernaturale, obiectum tamen proximum illius actus est planè naturale: nam obiectum proximum, & ratio formalis assentiendi conclusioni huic est iudicium consequentiæ ob formam syllogisticam, quod est planè naturale, ut bene docet Arrubal *disp. quinta*, & plures alij.

Si satisfat.

Neque dicas: Intellectus naturalis, & habitus supernaturalis producant actum simpliciter supernaturalem: ergo præmissa vna naturalis, & altera supernaturalis, possunt producere conclusionem supernaturalem. Primò enim allata est superius disparitas *in resp. ad primum*. Deinde intellectus non est causa principalis, sed tantum instrumentalis, concurrens ad actum supernaturalem perfectiorem, quam ipse sit: præmissæ autem non sunt cause instrumentales conclusionis, sed principales, unde non possunt esse imperfectiores conclusionem.

C Instabis secundò. Saltem conclusio illa Theologica, licet naturalis, est certior propositione naturali scientifica, à qua deducitur, quia communiter cum Sancto Thoma docent Theologi, Theologiam esse certiorē qualibet scientia naturali: ergo conclusio superat præmissas.

2. Et eius solutio

Resp. conclusiones Theologicas alias deduci ex ambabus præmissis de fide, alias ex vna de fide, & alia nota ex terminis; & illæ omnes conclusiones Theologicæ sunt certiores scientiis naturalibus: alias autem conclusiones Theologicas deduci ex vna de fide, & altera scientifica. Has conclusiones ut deductas, nego esse certiores scientiis naturalibus, à quibus pendent.

D Obiicies quartò. Potest conclusio esse affirmatiua, licet vna præmissa sit negatiua, ut, *Omnes stellæ, quæ non scintillant, sunt propè nos: Planeta non scintillant: ergo sunt propè nos.* Quo syllogismo vitur Aristoteles *in libris de Mundo*.

Obiectio 4.

Resp. argumentum illud non valere, si minor sumatur negatiue; valere autem si sumatur infinitè, ut sumptit etiam Aristoteles.

Responsio

Obiicies quintò. Cum vna præmissa est vera, & altera falsa, sequitur conclusio vera, & cum vna est necessaria, altera impossibilis, sequitur conclusio necessaria.

Quinta.

Resp. conclusionem materialiter sumptam posse esse veram, quando præmissæ sunt falsæ; & necessariam, quando præmissæ sunt impossibiles: non posse autem vquam conclusionem formaliter sumptam esse veram, vel necessariam, quando præmissæ sunt falsæ, vel impossibiles.

Solutio.

Quæres, vtrum ex possibili sequi possit impossibile, quando v. g. dico: *Omne quod mouetur, est homo: omnis equus est currens: ergo omnis equus est homo.* Vbi præmissæ ambæ sunt de possibili, conclusio autem de impossibili.

An ex possibili impossibile sequi possit.

Resp. ex possibili nunquam sequi posse impossibile: in exemplo autem allato præmissæ simul iunctæ sunt impossibiles, quamuis separatim sumptæ sint possibiles; conclusio autem non sequitur

Responsio.

Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 73

quitur ex vna propositione, sed ex duabus simul dispositis.

S. V.

An, & quare conclusio formalis sit infallibilis.

Principium
quæ sunt eadem
vni, &c.

Dico quintò. Primum, & generale principium, quo nititur forma syllogistica cuiuscunque figuræ, est hoc principium: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Est contra Valq. prima parte, disp. 129. cap. 22. Molin. prima parte, art. tertio, disp. tertio. Albert. septimo principio complexio, dubitat. secunda.

Vnde desumptum.

Obserua, illud axioma esse desumptum ex Aristotele 3. *Physic.* textu 21. & 7. *Topic.* cap. 1. his verbis: Cui alterum idem, & alterum: nam si non sunt ambo eidem eadem, manifestum est nec sibi inuicem. Hoc autem axioma duobus modis intelligitur. Primò, quæ sunt eadem realiter vni tertio, sunt inter se realiter eadem; quod quomodo, vel connaturaliter verum sit, dicitur conclus. 3. Secundo, quæ sunt eadem vni tertio prædicatione, sunt eadem inter se prædicatione, idest quando vtrumque extremum de aliquo tertio prædicatur, vel aliquod tertium de vtroque extremo, tunc alterum extremorum potest de altero prædicari. Vtroque modo intellectum axioma, dico esse fundamentum rectæ consequentiæ.

Ratio.

Ratio est, quia omnis veritas syllogistica potest demonstrari per hoc axioma: quod probò. In omni recto syllogismo conclusio infert infallibiliter identificationem prædicati & subiecti propter vtriusque identitatem cum tertio: ergo potest demonstrari per hoc axioma: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Deinde, quia dictum de omni, & dictum de nullo, quibus prima figura nititur, fundantur in eo axioma generali, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se;* quod vt clarius intelligatur.

Dici de omni
& dici de
nullo, in quo
fundantur.

Dico sextò. Hæc duo principia, *Dici de omni,* & *Dici de nullo,* fundantur in illo generali axioma, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.*

Ex illis prima
figura
probat.

Obserua, Aristotelem lib. 1. priorum, cap. 1. duo hæc afferre axiomata generalia, quibus probat primam figuram, *Dici de omni,* & *Dici de nullo.* Dici de omni, significat, quod prædicatur affirmatiuè de conceptu communi sumpto vniuersaliter, dicitur etiam de omni inferiori contento sub illo, id est, quia v. g. animal affirmatur de homine, affirmatur etiam de Petro contento sub homine; quod est euidentissimum. Dici de nullo significat, quidquid negatur de aliqua ratione communi vniuersaliter sumpta, negatur etiam de omni contento sub illa: v. g. de homine negatur irrationale, negatur etiam de Petro, qui continetur sub homine. Duo modi affirmatiui primæ figuræ, *Barbara,* & *Dary,* probantur per dictum de omni. Duo modi negatiui, *Celarent,* & *Ferio,* per dictum de nullo. Et hæc duo axiomata sunt certissima, quia eorum veritas fundatur in altero illo principio: *Quæ sunt eadem vni tertio, &c.*

Ratio 1.

Ratio est, quia illud principium: *Quæcumque sunt eadem prædicatione vni tertio, sunt eadem inter se prædicatione;* est ipsummet dictum de omni, & de nullo: sed illud principium, *Quæ sunt eadem*
R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A inter se prædicatione, &c. demonstratur per illud, *Quæ sunt eadem realiter vni tertio, sunt realiter eadem inter se:* ergo dictum de omni, & consequenter dictum de nullo demonstrantur per illud principium, *Quæcumque sunt eadem vni tertio realiter, sunt eadem inter se.* Minor clara est, quia quod aliquid prædicetur de aliquo, demonstratur eo quod identificetur realiter idem cum illo.

Secundò: Idem valet dictum de omni, quia inferiora realem habent identitatem cum conceptu communi; idem enim necessarium est, vt animal, quod prædicatur de homine, prædicetur de Petro, quia Petrus habet identitatem cum homine, & homo cum animali: ergo idem quod prædicatur de superiori, prædicatur etiam de inferiori, quia inferius habet identitatem cum superiori: id est dictum de omni idem valet, quia fundatur in altero generali principio. Quæcumque possent obijci, petuntur a veritate huius axiomatis, quam vt stabiliam,

Secunda.

Dico septimò. Hoc generale axioma ita verum est, vt non solum in creatis, sed in diuinis locum habeat, si explicetur rectè.

Illud axioma etiam in diuinis est verum. In creatis est verum simpliciter.

Obserua, hoc axioma in creatis esse verum simpliciter, quia illa sunt idem, quæ sunt vna entitas: sed quæ sunt eadem vni tertio, sunt vna entitas: ergo sunt eadem inter se. In diuinis autem axioma illud videri falsum, quia repugnare videtur secretissimò mysterio Sanctissimæ Trinitatis, cuius tota difficultas in eo est, quod tres personæ realiter identificatæ vni naturæ diuinæ, hoc est realiter vnus *Deus;* sint tamen inter se realiter distinctæ, id est vnum ex tribus, & ex vno tres. Tribus tamen modis explicari potest hoc axioma, ita vt in diuinis etiam verum sit.

Primò: Quæcumque sunt eadem vni tertio incommunicabili, sunt eadem inter se: at verò quæcumque sunt eadem vni tertio communicabili, non sunt eadem inter se. Natura diuina propter infinitatem est communicabilis pluribus, idem principium illud non valet pro natura diuina. Relationes verò sunt pluribus incommunicabiles, & pro illis valet axioma.

Ratio 1.

D Secundo sic explicatur. Quæcumque sunt eadem adæquatè vni tertio, sunt eadem inter se, id est, quæcumque identificantur quidem vni tertio, sed non identificantur omnibus, quibus identificatur illud tertium, non identificantur inter se. Relationes autem diuinæ non identificantur adæquatè naturæ, quia non identificantur omnibus, quibus identificatur natura; & idem non sunt idem inter se.

Secunda.

Tertio: Quæ sunt eadem vni tertio realiter, & virtualiter, sunt eadem inter se; relationes autem diuinæ sunt idem realiter cum natura, non tamen virtualiter. Nam relationes sunt virtualiter distinctæ à natura; potest enim natura facere eadem omnia, quæ faceret si esset realiter distincta; & hæc vocatur distinctio virtualis in Deo, quæ in creaturis ob naturæ finitatem non reperitur. Axioma ergo illud in diuinis etiam verum est eo modo intellectum, quia de Deo possunt fieri syllogismi, qui omnes nituntur hoc generali principio. Duplex tantum in contrarium potest superesse difficultas.

Tertia.

Prima est, quia non valet in his syllogismis: *Essentia diuina est Pater: Filius est essentia diuina: ergo Filius est Pater.* Et ita multi alij syllogismi possunt fieri.

G Resp.

Eius solu-
tio.

Resp. primò, illos syllogismos nihil valere, quia medius terminus, qui est, *Essentia diuina*, non est purè singularis: in syllogismo autem expositorio medius terminus debet esse singularis purè: hic terminus, *Deus*, licet physicè sit singularis, logicè tamen, & æquiualeuter est vniuersalis. Secundo dici potest illum syllogismum non valere, quia medius terminus, *Essentia diuina*, non distribuitur adæquatè; conuenit enim Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; & sumitur tamen in maiori prout conuenit Patri; in minori autem prout conuenit Filio; sique non distribuitur adæquatè.

Secunda.

Secunda est, quomodo valeat in diuinis, *Dictum de omni*, & *Dictum de nullo*; videntur enim non valere, v.g. in hoc syllogismo: *Deitas non generat: Deus est Deitas: ergo non generat.*

Eius solu-
tio.

Respondeo, hæc axiomata valere in Deo, modo medium adæquatè distribuatur. In hoc autem argumento medium non distribuitur adæquatè.

SECTIO V.

De variis speciebus syllogismorum
axiomata.Syllogismo-
rum genera.

Certum est, syllogismum alium esse simplicem, siue categoricum; alium hypotheticum, alium expositorium, alium constantem ex propositionibus exponibilibus, alium ex obliquis, de quibus axiomata quadam scitu digna sunt.

De syllogis-
mo cate-
gorico.

Dico primò. De syllogismo categorico, qui scilicet constat ex propositionibus absolutis, hæc axiomata vera sunt.

Primum est: *Ex duabus negatiuis nihil vi forme concluditur, sed tantum vi materie*; quia si medium cum neutro extremo iungatur, non erit ratio neque coniungendi, neque distinguendi extensa.

Obiectio
& eius so-
lutio.

Neque dicas primò: Hic syllogismus negatiuis bene concludit: *Si hæc substantia non est spiritalis, non est Angelus: sed hæc substantia non est spiritalis: ergo non est Angelus.* Respondeo enim hunc syllogismum esse hypotheticum, cuius maior æquiualeat huic: *Omnis Angelus est substantia spiritalis*, & est affirmatiua, cum tamen videatur negatiua, sicut hic syllogismus constare videtur ex affirmatiuis, cum tamen constet ex negatiuis. *Omnis homo differt ab Angelo: omnis substantia spiritalis differt ab homine: ergo omnis substantia spiritalis differt ab Angelo.* Non valet, inquam, quia constat ex negatiuis; nam differre idem est, ac vnum non esse aliud.

Secunda &
eius solutio.

Neque dicas secundò: Hic syllogismus bene concludit: *Omne quod non est animal, non est homo: lapis non est animal: ergo lapis non est homo.* Respondeo bene concludere, quia maior, in qua sunt duæ negationes, æquiualeat affirmatiuæ, quæ in illam conuertitur: nam hæc propositio vniuersalis affirmatiua: *Omnis homo est animal*; conuertitur in hanc per contrapositionem: *Omne quod non est animal non est homo.*

Axioma se-
cundum.

Secundum est: *Ex puris particularibus nihil concluditur vi forme*; quia tunc medium non adæquatè distribuatur.

Obiectio.

Neque dicas: Hic syllogismus constat ex particularibus, *Hic homo est animal: Petrus est*

animal: ergo Petrus est hic homo. Respondeo enim hunc syllogismum concludere solum vi materie, non vi forme; nam seruata eadem forma posset antecedens esse verum, & consequens falsum: *Hic leo est animal: Petrus est animal: ergo Petrus est hic leo.*

Ei satisfic.

Tertium: *Medium nunquam ingreditur conclusionem*, quia idem probaretur per seipsum.

Axioma ter-
tium.

Neque dicas: Hic syllogismus in conclusione habet medium: *Omnis Angelus est spiritus: Gabriel est Angelus: ergo aliquis spiritus est Angelus.* Respondeo non concludere vi forme, sed tantum vi materie, quia scilicet hæc vniuersalis affirmatiua: *Omnis Angelus est spiritus*; bene conuertitur per accedens in particularem affirmatiuam: *Aliquis spiritus est Angelus.*

Obiectio &
ei satisfic.

Dico secundò. Syllogismus expositorius est is, qui constat medio termino purè singulari. Dicitur expositorius, quia est quadam sensibilibus resolutio eorum, quæ in communi dicuntur, vt ait Sanctus Thomas opusculo 47. De hoc vera sunt hæc axiomata.

Syllogismus
expositorius
quid sit.

Primum: *Medius terminus in syllogismo debet esse singularis, non autem particularis.* Ideo hæc sunt sophismata: *Quod ego habeo, tibi do: ego habeo oculos: ergo do tibi oculos.* Item: *Quod ego sum, tu non es: ego sum homo: ergo tu non es homo.* Quod sophisma Diogenes propositum à discipulo Platonis, soluere se putauit dicens: *Incipe à me, & conficies te non esse hominem.*

Primum
axioma pro
expositorio.

Secundum est: *Vt de Deo fiant syllogismi expositorii, medium non potest esse Deus, essentia diuina, nec vlla perfectio essentialis*; quia medium syllogismi expositorii debet esse purè singulare, vt dixi; nomina verò ista, *Deus*, *essentia diuina*, &c. quamuis sint physicè singularia, logicè tamen vniuersalia sunt; idèd non valent hi syllogismi: *Hic Deus est Pater: Filius est hic Deus: ergo Filius est Pater.* *Essentia diuina non generat: Pater est essentia diuina: ergo Pater non generat.*

Secundum
axioma.

Tertium est: *In syllogismo expositorio medium ita debet esse singulare, vt tamen adæquatè distribuatur*; id est, sumatur pro omni eo, pro quo sumi potest: v.g. si *Petrus* sit medium syllogismi expositorii, debet sumi pro eo toto, quod est Petrus, alioqui non valet syllogismus. Quod etiam obseruandum est, præcipue quando fiunt syllogismi expositorii de Deo; semper enim boni erunt, si medium singulare sumatur pro omni eo, pro quo sumi potest.

Tertium.

Dico tertio. Syllogismus hypotheticus ille dicitur, cuius aliqua propositio est hypothetica; de quo vera sunt hæc axiomata.

Syllogismus
hypotheti-
cus quid sit.

Primum: *Syllogismus hypotheticus per se nihil concludit, nisi ratione syllogismi categorici*; ad quem facile reduci potest, quia non seruat debitam dispositionem medij cum extremis: v.g. hic syllogismus: *Si sol lucet, dies est: sed sol lucet: ergo dies est*; facile reducit ad illum: *Quoties sol lucet, dies est, &c.*

Primum
axioma pro
hypotheti-
co.

Secundum: *Syllogismus hypotheticus non valet, quando medium est disunctiuum*; v.g. si dicas: *Hic, vel ille oculus est necessarius ad videndum: oculus dexter est hic, vel ille oculus: ergo oculus dexter est necessarius ad videndum.* Medium enim, *hic, vel ille oculus*, est particulare; nam idem est ac *aliquis*.

Secundum.

Tertium est: *Non potest syllogismus constari ex utraque pamiissa disunctiuam, sed potest constari ex maiori*

Tertium.

maiori copulativa, & minori disjunctiva: v. g. non valet, Petrus, vel Ioannes interfecit Antonium: hic homo est Petrus vel Ioannes: ergo hic homo interfecit Antonium. Quia copula, Et, nec, &c. æquivalet voci, Omnis: vel, autem æquivalet voci, Aliquis.

Syllogismus exponibilis quid sit. Dico quartò, Syllogismus exponibilis vocatur is, qui constat ex propositionibus exclusivis, exceptivis, vel reduplicativis. De hoc vera sunt hæc axiomata.

Primum: Particula, tantum, non facit propositionem universalem, nisi addita habet signum universale, Omnis: v. g. Tantum homo est albus; non est idem ac, Tantum omnis homo est albus. Idem non valet hic syllogismi: Tantum animal est homo: equus est animal: ergo equus est homo. Neque hic: Tantum substantia non est creatura: omnis homo est substantia: ergo nullus homo est creatura. Medium enim in illis non distribuitur adequatè.

Secundum. Secundum est: Propositio affirmativa exclusiva æquivalet duabus, quarum una est affirmativa, & altera negativa. V. g. cum dicis, Tantum risibilis est homo; significas, quod homo est risibilis, & nullum aliud risibile; idem non valet hic syllogismus: Omnis homo est animal: tantum risibile est homo: ergo tantum risibile est animal. Quia animal in conclusione negativa distribuitur, cum tamen non fuerit distributum in maiori affirmativa.

Tertium. Tertium est: In syllogismo exceptivis, terminus exceptus debet poni etiam in minori, alioqui sunt quatuor termini; idem non valet hic syllogismus: Omne animal præter hominem est irrationale: omnis homo est animal: ergo omnis homo præter hominem est irrationalis. Ob eandem causam in reduplicativis terminus reduplicatus poni debet in conclusione; idem istud non valet: Omne animal in quantum muscum cantat: omnis homo est animal: ergo omnis homo cantat.

Syllogismus ex obliquis quid sit. Dico quintò, Syllogismus ex obliquis dicitur, cum aliquis terminus illius ponitur in casu obliquo. De quo hæc accipe axiomata.

Primum pro obliquo axioma. Primum est: Cum medium est obliquum in aliqua præmissa, extremum, quod illi iungebatur, debet esse rectum in conclusione, & alterum extremum debet esse obliquum, ut: Omnis entis est scientia: omne corpus est ens: ergo omnis corporis est scientia.

Secundum. Secundum. Quando medium est obliquum in utraque præmissa, utrumque extremum conclusionis est in recto, ut: Nulla virtus inest heretico, avaritia inest heretico: ergo avaritia non est virtus.

Tertium. Tertium. Terminus, qui fuit obliquus in præmissis, sit etiam obliquus in conclusione, ut: Omnis creatura est Dei: omnis homo est creatura: ergo omnis homo est Dei. Supererant syllogismi modales, quos inutile propemodum esset exponere; cum ex dictis tum hic, tum in Pharo nulla circa eos possit superesse difficultas.

Altera divisio syllogismi. Altera est divisio syllogismi communissima, in scientificum, dialecticum, siue probabilem, spendagraphum, & sophisticum; circa quos nihil exponendum superest præter demonstrationem, quæ primaria, & nobilissima pars est totius Dialecticæ.

A

DISPUTATIO V.

De syllogismo scientifico. Ad posteriores Analyticos.

B DEMONSTRATIO non totale quidam, sed primum Logicæ obiectum est, & obiectum, ut vocant, attributionis: sed librorum, quos Aristoteles inscribit Posteriores Analyticos, est obiectum adequatum; in iis enim totam demonstrationem, & resolutionem syllogismi secundum materiam ingeniosè prosequitur, in qua etiam totius Logicæ nostræ sit clausula.

QVÆSTIO VNICA.

De natura, & partibus demonstrationis.

C M Vltà complector hoc titulo, quæ ad capita Divisio sex referri possunt; primò enim continet quæstionis existentiam, quidditatem, & divisionem demonstrationis, ac scientiæ. Secundò præcognitiones ad scientiam requisitas. Tertio proprium subiectum demonstrationis ac scientiæ. Quarto medium terminum. Quintò præmissas demonstrationis, tum in genere, tum propter quid. Sextò regressum à demonstratione quia, ad demonstrationem propter quid.

SECTIO I.

Quidditas, existentia, & divisio demonstrationis.

D CERTUM est primò, demonstrationem definiti, syllogismum, qui facit scire, id est syllogismum, per quem formaliter habemus scientiam actualem: unde altera demonstrationis definitio est, syllogismus constans ex veris, necessariis, & notioribus conclusionibus: quæ conditiones inferius explicandæ erunt.

Certum est secundò, scientiam universè ita de Scientia finiri, Est cognitio rei certa, & evidens per medium quid sit. necessario connexum. Scientia verò maxime propria, siue à priori, ita definitur, Est cognitio certa & evidens rei per causam necessariam, v. causa est. Quæ definitio quatuor inuoluit conditiones ad scientiam necessarias. Prima est, ut scientia sit certa: secunda ut sit evidens: tertia ut discursu comparetur: quarta ut constet ex præmissis necessariis, & continentibus causam conclusionis: quas conditiones in tractatu de scientia tractabimus.

Certum est tertio, scientiam aliam esse actualem, aliam habitualement. Actualis illa est, quam definitivimus: habitualis est qualitas permanens inclinans intellectum ad cognitionem rei certam, & evidentem. De sola scientia actuali nobis hic sermo est, de qua

Certum est quarto, scientiam actualem essentialiter, & in recto esse solam conclusionem formalem; præmissas autem demonstrationis in obliquo & conno